



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

6 Iared Malaleelis Filius. Expostulatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Geminosque Mystas initiavit,
 Quorum alter luctu, alter cantu litaret.
 Sile jam Græcia miratix
 Democriti, & Heracliti disparem Genium,
 Possum melius par, divino de authographo promerere,
 Nam Caibam lugendo, Malaleel canendo,
 Novem sæcula confecere:
 Et antiquam animam
 Alter effluit, alter efflavit.
 Diutius tamen vixit Cainamus,
 Nam Mortalium lætitiæ superstes est dolor,
 Denique à Cainamo Melaleel est satus:
 Vera quippe voluptas, lacrymarum est proles.

J A R E D

MALALEELIS FILIUS:
EXPOSTULATIO.

Est quo tecum expostulem, Fama;
 Quæ tot prædita linguis, quot plumis;
 Circa Jaredi laudes implumis es, & elinguis.
 Nam præter annos ac prolem, nihil admodum pangis.
 Non annis vivunt Mortales, sed factis.
 Tu Jaredi annos prodis, facta perdis.
 Quid hoc est aliud quam occidere mortuum? Fallor.
 Authoritatem ex silentio quæris.
 Ad laudum metam de compendio pervenisti,
 Dum Jaredum Enoci Genitorem vocas.
 Non poterat intempesto sæculo tam bonus educi,
 Nisi ex optimo Patre.
 Quam magnum hoc fuerit, docuit morâ:
 Atavus enim esse poterat, cum Pater esse cæpisset.
 Ut non mirens tam senili ingenio Puerum:
 Nemo serius Prolem habuit,
 Nemo enim diuturnius erat habiturus,
 Festiva non sunt, quæ festina.
 Decennio parturit Elephas, sed Elephantum.
 Celeres partus velut sibi præreptos citò revocant Fata.
 Tan-

Tanti erat igitur novem secula meditari,
 Ut talem sobolem de suo fingeret exemplo,
 Omnium verò sapientissimè,
 Quod vix editum Aus admovit.
 Novum fœnoris genus, Deo fœnorari,
 Dare quod acceperis,
 Ut luculentius recipias quod dederis.
 Nam qui mortalis dedicatus est Puer,
 A morte est manumissus.
 Potes jam tu securus esse de Filio, de te Filius,
 Utrique bene cautum :
 Neuter suam flebit orbitatem :
 Tu Filio superstes eris, Filius tibi.

E N O C H

J A R E D I F I L I U S .

C E N O T A P H I U M .

Inanem ex auro Tumulum molire, Fabet,
 Et vivaci Emblemate
 Cœlestum hominem cæla,
 Infantulus fingatur, Aris non cunis reptans,
 Septimus ab Adamo natus, Deo destinatus,
 Ut in septimo quiescat Deus.
 Jam adultum solitudini affinge,
 Ut honestæ legationi decoros compareret cultos,
 Aureo squalore lepidam maciem dita ;
 Argento lacrymas imitante :
 Ut pœnitentiã, ignotum nomen,
 Non tam suadeat, quam ostendar.
 Jam sylvis digressus,
 Lascivos doceat Cainitas
 Cœlestem ultionem præoccupando vitare ;
 At deletere lacrymis scelera, ne diluvio deleantur,

B

Heu